Numquid porriget illi scorpionem. si ergo uos cum sitis
mali nostis bona data dare filiis uestris, quanto magis pater
uester de caelo dabit spiritum bonum petentibus se.
Et erat eiciens daemonium et illud erat mutum, et cum eiecisset
daemonium locutus est mutus. et admiratae sunt turbae
Quidam autem ex eis dixerunt. in belzebub principe daemoniorum
eicit daemonia, Et alii temptantes. signum de caelo quae
rebant ab eo. Ipse autem ut uidit cogitationes eorum dixit
eis. Omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur et domus
supra domum cadit, si autem et satanas in se ipsum est quo
modo stabit regnum ipsius. quia dicitis in belzebub
eicere me daemonia, si autem in belzebub ego eicio
daemonia. filii uestri in quo eiciunt. ideo ipsi iudices uestri
erunt, Porro si in digito dei eicio daemonia. profecto per
uenit in uos regnum dei, Cum fortis armatus custodit atrium
suum. in pace sunt ea quae possidet, si autem fortior super
ueniens uicerit eum. uniuersa arma eius aufert in quibus
confidebat. et spolia eius distribuet, qui non est mecum
aduersum me est, et qui non colligit mecum dispergit.
Cum inmundus spiritus exierit de homine perambulat per
loca inaquosa. quaerens requiem et non inueniens dicit
Reuertar in domum meam unde exiui, et cum uenerit inuenit
scopis mundatam. et tunc uadit. et assumit septem alios
spiritus nequiores se. et ingressi habitant ibi, et sunt
nouissima hominis illius peiora prioribus,
Factum est autem cum haec diceret extollens uocem quaedam
mulier de turba dixit illi, Beatus uenter qui te porta
uit. et ubera quae suxisti, At ille dixit, quinimmo beati
qui audiunt uerbum dei. et custodiunt illud,
Turbis autem concurrentibus. coepit dicere, generatio